

tis : quales solent quandoque manus amputatione puniri.

612. Circa manus amputationem solet dubitari, quanam manus amputanda sit. Et communis habet sententia (nisi vel Jus vel consuetudo aliud habeat) illam esse amputandam, quæ minus utilis est reo.

Dubitarur ulterius : quid si jam unam manum ante amisisset. Aliqui rigidi volunt, nihilominus alteram esse amputandam. Alii distinguunt, an priorem manum ex culpa amisisset, vel sine culpa. & si quidem ex culpa, esse alteram manum quoque amputandam, ne ex suo delicto lucrum reportet. Quæ tamen sententia mihi etiam dura videtur. Nam secunda manus amputatio est poena longè gravior, quàm unius & primæ manus amputatio, ut per se pa-

ret, & declarari possit in oculis. cum ergo pro primo delicto manus amputatio fuerit poena proportionata, non debet ob secundum delictum majorem poenam pari quàm alius. Quare verior & mitior, adeoque in re dubia semper Judici suadenda sententia est, tunc abstinendum esse à manus amputatione, & hanc poenam in aliam commutandam.

Usura.

DE hac plenè actum est in to. 3. tract. 9. de Jure privat. cap. de *Mutuo*.

Atque hæc de Generibus Delictorum, quæ ad Causas Criminales in Foro puniendas spectant, eorumque Penas.



R. P. CHRISTOPHORI
HAUNOLDI
 E SOCIETATE JESU
 CONTROVERSIARUM
 DE
JUDICIIS
 ET
PROCESSU
 IN CAUSIS CRIMINALIBUS
TRACTATUS III.
 DE
PROCESSU CRIMINALI.
CAPVT I.
 DE PROCESSVS CRIMINALIS
 OBIECTO ET DIFFERENTIIS.

CONTROVERSIA I.

*Quanam Causa seu Delicta ad
Processum Criminalem
pertineant.*

SUMMARIUM.



*M*ultiplex est utilitas hujus Quæstionis. Primò enim, ex eo cognoscere potest Judex, v. g. Latrunculator vulgò, *Gannichtter* seu Judex malefactorum, quam causam ad ipsius Judicium spectent, & contra, si cui generaliter Cause Civiles commissæ sunt, quousque se sua Jurisdictione, & cognoscendi potestas extendat, cujusmodi sunt Vicarii Prætorum. Secundò. In Criminalibus plerumque proceditur per capturam, secus autem in civilibus regulariter. *l. 1. pr. ff. de Quæstionib. In criminibus eruenendis quæsto adhiberi solet.* Tertio. In criminalibus causis non admittitur Procurator, sicut in civilibus etiam illis, quando agitur ad penam civilem. *l. 5. pr. ff. de penis. Absentem in criminibus damnari non debere D. Trajanus rescripsit.* Quartò. In criminalibus ad condemnationem, ex communi DD. requiruntur regulariter indicia indubitata, imò aliqui DD. apud Jul. Clar. *§. fin. q. 20.* volunt nunquam posse fieri condemnationem ad penam corporalem ex indicis quantumvis indubitatis, Dixi regulariter, excipiuntur tamen apud cit. A. crimen hæresis, Affalinii, & Simonia; & insuper quando præsumptio est posita à lege tanquam sufficiens ad condemnandum. Secus est in causis civilibus quando agitur ad penam pecuniariam. Quintò. In criminalibus non dimittitur facile in carceribus, etiamsi cautionem fidejussoriam offerat, in civilibus autem oblata cautione fidejussoria dimittendus est. *l. 3. ff. de Custodia & exhib. reorum.* [Divus Pius rescripsit, non esse in vincula conjiciendum eum, qui fide-

litas Controversia proponitur. 1. Quando ex crimine civiliter agitur, non nisi largè dicitur Causa criminalis.

Quodnam Judicium dicatur Criminale, inspecto Jure scripto. 3.

Sex modi exercendi Judicium criminale. 4. & seq.

An consuetudo immutaverit naturam Judiciorum Criminalium. 6. & seqq.

justiores dare paratus est, nisi sit tam grave scelus admisisse eum constet, ut neque fidejussoribus, neque militibus committi debeat: verum, hanc ipsam carceris penam ante supplicium sustinere.] Sextò. In Criminalibus Judicis repelluntur aliqui testes, (ut constat ex dicendis,) qui tamen admittuntur in civilibus. Hæc de utilitate quæstionis, pro cuius resolutione,

2. Observandum est, solere quidem quandoque etiam illam causam vocari Criminalem, in qua agitur ad penam civilem, sed esse modum loquendi minus proprium minusque Juridicum, & valde largum, quatenus omnis cognitio de aliquo crimine potest vocari criminalis, etiam tunc, quando agitur civiliter, sed actione penæ persecutoria, ut actione furti in duplum vel quadruplum. Hoc animadverto, videndum restat, quid vel de Jure, vel de consuetudine in præsentis quæstione dicendum sit.

3. Dicendum est, inspecto Jure scripto, illud dici Judicium criminale, in quo agitur ad commodum publicum, sive sit imponenda pena corporalis ad publicam vindictam, sive sit ex delicto imponenda pena pecuniaria, applicanda fisco. Illud verò erit Judicium Civile, quando agitur ad commodum privatum, etiamsi causa descendat ex delicto. Hæc est communis sententia DD. Ita Interpp. in §. 10. *Inst. de Injuriis*, & exprimitur in *lege 9. §. 5. ff. de Publicanis*. [Quod illicite publicè privatimque exactum est, cum altero tanto passis injuriam exsolvit, per vim verò extortum cum penâ triplici restituit, ampliùs extra ordinem pleuntur, alterum enim NB. utilitas privatorum, alterum vigor publicæ disciplina postulat.] Hinc si delinquens est pauper, pena pecuniaria commutatur in corporalem, juxta *l. 1. §. ult. ff. de penis*. Qui non in are habet, luat in corpore.

4. Pro declaratione hujus Conclusionis ponit Julius Clarus sex casus bene notandos. Primus est, quando agitur ad penam Ordinariam corporalem, nullâ factâ mentione privati interesse. tunc Judicium est Criminale, ut per se patet.

Secundus: quando agitur ad penam pecuniariam tantum, fisco applicandam, & tunc etiam est Judicium Criminale, ex communiore sententia, & attentis Juribus.

Tertius: Quando simul cum pena corporali sive pecuniaria fisco applicanda, proponitur etiam interesse partis offensæ, ut ei pars applicetur, vel agitur ad rei ablata restitutionem, ad refusionem expensarum, damnorum &c. & hoc Judicium erit simpliciter dicendum Criminale, si ex natura condemnationis necessariò simul cum pena publicæ vindictæ venit etiam interesse partis, quia lex vel statutum jubet de utroque simul

simul pronuntiarî. Si verò interesse partis venit tanquam quid separatum, & non de necessitate connexionis vigore statuti, tale Judicium possit dici Mixtum. quamvis addat Clarus, in Senatu suo Mediolanensi semper rejici appellaciones à condemnatione damnorum vel expensarum litis, sive venient ex eadem lege, sive ex diversa, sed solummodo admitti revisionem respectu excessus. quod est signum, quòd tale Judicium adhuc sit simpliciter criminale.

5. Quartus casus est, quando solummodo agitur ad Interesse partis, & est Judicium mere Civile, etiamsi causa descendat ex delicto.

Quintus. Quando agitur ad penam Extraordinariam, v. g. ad privationem officii, seu beneficii, & nihil applicatur fisco. Et tunc etiam dicitur Judicium civile, (secus esset, si esset pena ordinaria, etiamsi officium esset publicum. sed de hoc dubitari possit, ob communem tamen auctoritatem censet Clarus ita esse tenendum, ut etiam tradit Marana.

Sextus. Quando agitur per viam Exceptionis, objiciendo terti crimen, non ad effectum, ut puniatur, sed ut ejus testimonium non recipiatur, vel receptum non noceat, & ex hoc non evadit Judicium criminale, sicut evaderet, si proponeretur ad puniendum.

6. Dixi in Conclusionè: *Inspecto Jure Scripto*. Nam Carpovius contendit, hodiernis moribus Causas Criminales esse illas solas, in quibus agitur ad penam corporis afflictivam, ut est pena mortis, fustigatio, manus amputatio, reliquas verò, quæ ad penas leviores, ut multam pecuniariam, carcerem, aut relegationem tendunt, esse causas Civiles. Pro qua sententia adducit alios AA. Deinde, refert argumenta, quæ Gothofredus Antonius olim objecerat huic sententiæ suo affini Theodoro Reinkingk, Regis Daniæ Cancellario, sed meo Judicio illa sunt satis efficacia, quidquid ea contemnat Carpovius, qui tandem pro foro Saxonicò evincit suum intentum, de quo nobis non est laborandum. De cætero

7. Argumentatur Gothofredus Antonius I. Pena Infamiae dicitur Criminale in pluribus articulis Ord. Criminalis Carolina. Atqui hæc non est corporis afflictiva, ut per se patet. ergo datur aliqua pena criminalis, & per consequens causa criminalis, quæ non agit ad penam corporis afflictivam. Quod autem respondet Carpovius, vocari Criminalem minus propriè, est impropriare verba sine fundamentò.

Secundò. Pena relegationis etiam non est corporis afflictiva: atqui est criminalis, si ex causa doli, & in publico Judicio, veluti falsi commissi &c. irrogatur. *Ord. Crim. art. 113.*

Tertio. Pena privationis dignitatis non est utique corporalis. atqui hæc ex hodierna consuetudine est criminalis, si ex causa publici Judicii infigitur, quia semper conjunctam habet infamia penam.

Quartò. Pena confiscationis non est corporis afflictiva, & tamen in Judicio publico interrogata, v. g. ex Lege Julia, de Vi privata, etiam hodierno Jure est criminalis.

Denique confirmat Gothofredus suam sententiam ex Ordinatione Cameræ Imperialis p. 2. tit. 28. §. *item postquam*. ibi. *ut deinceps in Causis Criminalibus*. NB. quæ ad corporalem penam tendunt. quorum enim opus fuisset istâ restrictione per particulam relativam: *Quæ*: Si omnes Cause Criminales penam criminalem continerent? ulterius & adhuc clarius ex illis ejusdem §. verbis id colligitur. ibi. *ut in Criminalibus causis, etiam corporalem penam concernentibus*: nam particula: *etiam* est implicativa, & ostendit, criminales causas esse etiam alias, quæ nullam corporis penam efflagitant.

8. Quibus argumentis merito cessit Reinkingk, & inultis, etiam leviores penas corporales, non per quandam analogiam (ut vult cum suis Saxonibus Carpovius) & convenientiam, sed propriè criminales esse & appellari. Neque enim verba sunt impropria, præsertim toties iterata, & tot locis à legislatore repetita, si non expressè constet, legislatorem aliud voluisse, aut aliud absurdum loqueretur.

Unde tandem inferitur, illum cui generaliter Cause Civiles committuntur judicanda, non accipere potestatem super hujusmodi causis vindictam pro commo publico requirentibus per penas quæ non sunt corporis afflictivæ; sed solum super adjudicandis causis in quibus ad privatum esse agitur, quæ est communis Sententia in Conclusionè postea.



CONTROVERSIA II.

*Quenam Causæ Criminales sint
& dicantur in Iure Ca-
pitales.*

SUMMARIUM.

Publicorum Iudiciorum divisio in Capitalia & non Capitalia. 9.
An Deportatio seu Confinatio sit pœna Capitalis. 10.
Pœna sanguinis male confunditur cum pœna capitali. 11.

9. **P**ublicorum Iudiciorum, inquit Paulus *JC. in lege 2. ff. de publ. Jud.* quaedam Capitalia sunt, quaedam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna, mors aut exilium est, hoc est: aquæ & ignis interdictio: per has enim pœnas eximitur caput de civitate. Nam cætera non exilia, sed relegationes propriè dicuntur: tunc enim Civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna est.] ex quo textu clarè etiam confirmatur (sententia præcedenti controversiâ contra Carpozovium defensa. Deinde lege 103. ff. de V.S. dicitur. [Licet Capitalis latine loquentibus omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio Capitalis, mortis vel amissionis civitatis intelligenda est.]

10. Ex hac doctrina resolvitur in superioribus dubium, an, si Statutum aliquod imponat pœnam Capitalementem alicui delicto, vel aliquam causam dicat esse Capitalementem, an inquam Iudex statuto satisfaciatur, si decernat pœnam Deportationis, (cui successit hodie Confinatio) quæ quis membrum Reipublicæ esse desinit, & Mediam capitis diminutionem patitur, ut videre est apud Harpprecht. §. 2. *Infl. de Capit. dimm.* & ex communi DD. respondendum est affirmativè, ob textus allatos, & quia in dubio mitior pœna est eligenda: quod tamen limitandum est, nisi ex praxi & consuetudine, vel ex adiunctis legis aut statuti verbis aliud colligatur. v.g. si dicatur *Pœna Capitis in sensu proprio & recepto*: Videtur accipiendum non de Capite civili (quod est Status hominis in libertate, civitate, & familia consistens) sed de capite naturali, adeoque de pœna mortis intelligendum puto.

11. Solet à quibusdam hæc eadem divisio Pœnarum, & Causæ Criminalis aliis terminis ef-

ferti, quòd alia sit Causa Sanguinis (à quibus dijudicandis Clerici arcentur) & alia, quæ sanguinem non attingit, nempe quæ caput civile aufert, ademptâ Civitate vel libertate. Minima Capitis diminutio, quæ præcisè familia mutatur, hæc non pertinet, quia non est pœna, nec capitis amissio, sed potius mutatio.

Verum, in hæc divisione videtur confundi pœna Sanguinis cum pœna capitali, quasi inter se converterentur, quod tamen falsum est. Nam imprimis non omnis pœna capitalis est pœna sanguinis, ut patet ex dictis de maxima & media capitis diminutione. Deinde nec contra omnis pœna sanguinis est capitalis, quidquid dicat Carpozovius q. 102. n. 11. dicens, quòd pœna sanguinis aliud non sit, quàm pœna ultimi supplicii. Hoc inquam non est verum, & est contra communem doctrinam. Nam membri abscissio, est pœna sanguinis, ut tradit Zasius, Vultejus, Scharodus, Gilkenius, Boecerus, Farinacius, Jul. Clarus, & tamen non est pœna capitalis, ut ipse Carpozovius fateretur. Et quamvis citati AA. velint etiam esse capitalem, hoc tamen communis alii negant: Et fanè malleum cum his AA. abscissionem manus vocare capitalem; (quia saltem uni membro mortem infert) quàm negare esse pœnam sanguinis, ut negat Carpozovius.

CONTROVERSIA III.

*Quomodo differant Causæ Crimi-
nales ex atrocitate
Criminis.*

SUMMARIUM.

Divisio Delictorum in atrociora & atrocissima. 12.
Quæ sit aliorum Regula cognoscendi, an crimen sit Atrox vel Atrocissimum. 13. & seq.
Mens Auctorit. 15.

12. **N**otandum est. Crimina in Iure alia dici Atrociora, alia Atrocissima, neque fieri tertiam classem Atrociorum, sed hæc reduci à plerisque ad atrociora, ut fit in lege 7. §. 8. ff. de Injuriis. [Atrociora autem injuriam aut personam, aut tempore, aut re ipsâ fieri Labeo ait. Personam atrocior injuria fit, ut cum magistratus, patenti, patrono fiat. Tempore, si ludis (i. e. in theatro) & in conspectu. Nam Prætoris in conspectu

an in

De Processus Crimin. Object. & Different.

an in solitudine injuria fiat, multum interesse ait, quia atrocior est, quæ in conspectu fiat.] Julius Clarus *lib. 5. §. 1. n. 9.* atrociora reducit ad atrocissima. Dux ergo classes constituuntur, & quaritur, quæ sit Regula discernendi delictum Atrox & Atrocissimum.

13. Utilitas autem hujus Quæstionis est magna. Nam plerumque Statuta (eodem Auctore teste) concedunt Judicibus latiores habenas in atrocissimis, imò ex communi DD. etiam secundum Jus commune licitum est Judici transgredi jura, quòd quidem aliqui restringunt ad hoc, ut solum in puniendo possit pœnam in jure statutam ex certis causis transgredi; alii tamen etiam volunt hoc licitum esse in procedendo, v.g. perveniendo ad torturam, non habitis adhuc plenè indicis alioquin requisitis. Hoc posito

Julius Clarus, & cum eo Carpozovius, statuunt hæc regulam. Omnia delicta, pro quibus à Lege vel statuto imponitur simpliciter & nudè pœna mortis naturalis, vel civilis (ut perpetua condemnatio ad tritremes, confinatio, vel bannum) dicuntur gravia, & atrociora. Atrocissima verò dicuntur, pro quibus lex vel statutum imponit pœnam graviolem, quàm simplicis mortis, in ipso genere mortis, puta quia v.g. jubet reos in luto culeo: igne comburi: in frusta discendi, Rotâ contundi, ad caudam equi trahi: quæ do extendit pœnam ad filios &c.

14. Duo possent huic regulæ objici. Primò. Futrum non numeratur inter delicta atrocissima, & tamen videtur puniri pœna graviore, quàm simplicis mortis in ipso genere mortis; nempe suspensio, quod est longè gravius decapitatione, aut archibulatione.

Secundò. Regula hæc non declarat discrimen atrocis delicti ab atrocissimo ex natura delicti, & per prædicatum aliquid intrinsecum, sed per aliquid merè extrinsecum & accidentale, quòd quidem defecto pro praxi potest esse sufficiens, sed theoria videtur exigere declarationem magis ex natura rei: Non enim ideo delictum est atrocissimum, quia talis pœna imponitur, sed e contra, ideo talis pœna imponitur, quia est atrocissimum: ergo antecedenter ad actuale legem debet inesse discrimen aliquid ipsi generibus delictorum: nam ipsi Legislatores debuerunt habere regulam aliquam, antequam suas leges constituerent.

15. Possent ergo dici, illa delicta esse atrocissima, à quibus, quamvis natura per se ita abhorreat, ut ob hunc solum horrorem raro fiant, nihilominus etiam ad hæc raritatem magis impediendum necesse sit supplicium mortis speciali modo exasperare. Hujusmodi autem non est futurum, nam à furto Natura non ita abhorret, ut seclusâ pœna suspensio non ferret frequentissimè. De

simplici homicidio dici potest, quòd quidem ex naturali quodam vindictæ impetu frequentissimum esset, nisi pœnâ gladii puniretur: hæc tamen pœnâ statuta, jam videtur contra tantam frequentiam esse positum sufficiens frænum, & motivum absterrens. E contrario se habent Hæresis formalis, Sodomitæ, Incendii, Sortilegii, Falsificatio moneta, Veneficium, Assassinium, Latrocinium, Sacrilegium, Parricidium, Infanticidium, Læsa Majestatis, Rebello, Raptus, & si quod aliud est ex enumeratis præcedentè tractatæ, à quibus natura adeo abhorret, ut mereantur pœnam acerbiorem, ad hoc ut homines adhuc magis absterreantur, & quantum interest Reipublicæ, ut quàm rarissimè fiant, alioquin frequentiora futura, nisi acerbius punirentur.

CONTROVERSIA IV.

*Quotuplex sit Modus procedendi
in Criminalibus.*

SUMMARIUM.

Dplex modus procedendi. 1. per viam Accusationis. 2. per viam Inquisitionis, ad quem etiam reducitur Denuntiatio. 16.
An etiam Jure Civili approbatus sit Modus Inquisitionis. 17.
Solvuntur argumenta negantium. 18.

16. **S**ilio Claro q. 1. n. 1. & q. 18. credimus, in Italia ferè solus Modus procedendi per accusationem in delictum abijt, ejusque loco successit modus querelandi, & Judex supplet quoscunque defectus. In Germania quidem rariùs, nec tamen nunquam proceditur per accusationem, & ideo de hoc procedendi modo multa statuta sunt in Ord. Carolina Criminali. Itaque

Duplex est Modus procedendi, Ordinarius, hoc est per viam Accusationis, & Inquisitorius, seu per viam Inquisitionis. Addunt aliqui tertium, Denuntiatorium, seu per viam Denuntiationis, qui tamen tandem in Inquisitorium resolvitur, nam factâ Denuntiatione Judex procedit ad Inquisitionem: quamvis ex parte denuntiantis aliqua sint specialia, quæ tractantur à Theologis, & in defectu insinuantur.

Processus Ordinarius est, in quo contra Reum proceditur secundum Juris formam, oblatione libelli, litis contestatione solemnè &c. In-

quisitorius est, quando nullo existente Accusatore, Judex per viam inquisitionis summariæ & de plano procedit, & ex officio adversus delinquentem inquirat, eique poenam commertam imponit. Et quia in defectum Accusationis Inquisitio inventa & instituta est, ne scilicet ex accusatorum defectu delicta maneant impunita, ideo solet etiam vocari Extraordinarius.

17. Dubitatum est. An non solum in Jure Canonico, (quod extra controversiam est, nam exstat titulus de accusat. & Inquisit.) sed etiam in Jure Civili approbatus sit Processus Inquisitorius. Negarunt aliqui, quos tacito nomine allegat Fachineus *lib. 1. cap. 33.* inter quos (non rectè) ponit S. Thomam *2. 2. q. 67. a. 3. in Corp.* quod ita summatur. [Non potest in criminibus Judex quemquam judicare, vel condemnare, nisi habeat accusatorem, cuius, ut Justitiam interpret, non nisi inter duos Justitiam administrare possit.] Verum, ex responsione ad argumenta nimis clarum est, S. Thomam non accipere accusationem in rigore Juridico, dum ad 2. facitur, infamiam esse loco Accusatoris, quæ etiam requiritur in Inquisitione. Itaque.

Dicendum est cum communi Interpretatione in Jure Civili agnoscitur & approbatur esse Processum Inquisitorium. Probat. 1. Ex Nov. *12. 8. cap. 21.* [Jubemus autem omnes Judices, tam militares quam civiles, per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut feminam, aut alia quælibet in provinciis illicita committunt, & supplicia eis legitima inferte.]

Secundò, & Jure Digestorum idipsum probatur. Nam *lege 13. ff. de Off. Præsidis* ita habetur. [Congruit bono & gravi Præsidis curare, ut pacata atque quieta sit provincia quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. Nam & sacrilegos latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere.]

Tertiò, ex Jure Codicis *l. 7. de accusat.* id clarè habetur. [Ea quidem quæ per officium Præsidibus denuntiantur, & citra solemnia NB. accusationum posse perpendi, incognita non est.]

Quartò, & eleganter in *l. 1. C. de Custod. reorum.* [In quacunque causa reo exhibito sive accusator exstat, sive eum publice sollicitudinis cura produxerit, statim debet questio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur.]

18. Obijciunt I. Ex *lege 6. §. si quis. ff. de Muner. & honor.* [Si quis accusatorem non habet, non debet honoribus prohiberi, quem admodum non debet is, cujus accusator deliquerit.] Hoc esse intelligendum, quando ne quidem à fama quis accusatur, nam & fama est in accusatoris, ut etiam notavit *S. Th. lo. cit. ad 2.* Inquisitio autem non fit nisi præcedente famâ vel indicis, ut dicitur.

Obijciunt II. Per Inquisitionem aliquis sine legitima causa infamatur, & ansa præbetur hominibus, malam existimationem concipiendi de inquisito. Quinimò Inquisitio præsupponit jam sinistram famam, cui inquisitio causam dedit plerumque. Quod si in aliquo casu fama sinistre vel indiciorum causam nullam dedisset, & ad tempus innocenter ipsius existimatio pateret apud aliquos, ob hunc ratum eventum non debet universim illicita esse Inquisitio, utpote medium summè necessarium. Sicut ex eo quod raro fiat, ut etiam per viam accusationis innocens traducatur, non propterea admittent Adversarii, illicitum esse processum per viam accusationis.

19. Alias Objectiones non refero: nec est opera pretium litigare pluribus de proposita questione, postquam toto terrarum orbe Inquisitorius Processus frequentatur, & in Ord. Carol. art. 214. approbatur, adeo quidem, ut si Judex in inquirendo negligens esset, officio suo non satis faceret, & ideo reprehensibilis esset, imò, ut aliqui volunt, in Syndicatu respondere deberet.

Moventur hic à Theologis aliqua dubia; an & quando debeat obligatio accusandi in personis, quæ ex officio publico ad hoc non sunt obligatæ. Illas prætermitto, quia non procedunt de obligatione ex Justitiâ, sed de obligatione ex Charitate, quæ videri possunt apud Card. de Lugo, & alios ab eodem citatos, & facile resolvantur ex dictis de Obligatione Charitatis in genere.

CAPUT II.

DE ACCUSATORE, ET ACCUSATIONE.

20. Quamvis videri posset, primo loco agendum esse de Jure & Foro Competente, de hoc tamen statim à principio hujus Tomi actum est. ea verò quæ de Jure in genere tam in causis civilibus quam crimi-

nalibus tractari solent, expediti Tomo præcedente, tract. 2. Quare, statim ad Personam Accusatoris accedo, per quem principaliter & fundamentaliter differt Processus Ordinarius ab Inquisitorio.

CONTROVERSIA I.

Quenam Personæ ab accusando arceantur, & Exceptione repelli possint.

SUMMARIUM.

Quamvis veniant nomine Suorum, quorum injuriam quis accusando persequi potest.

Exclusi ab accusando summariim recensentur. eod.

Quousque Clericus non admittatur ad accusandum. 22.

An hodie miles arceatur ab accusando. 23.

An Laicus possit accusare Clericum. eod.

An filius famæ sine consensu Patris possit agere Personam accusatoris. eod.

In quibus criminibus admittatur servus. 24.

In qua ætate admittatur Minorænis. 25.

Quando mulier possit accusare non persequendo suam aut suorum injuriam. 26. & seq.

Quando possit Infamis. 28.

An accusare possit qui ipse accusatus est. 29.

Quo Jure admittatur ad accusandum Inimicus. 30.

Quinam ex causa reverentia arceantur ab accusando.

31.

21. Observandum est, ex communi DD. neminem ab accusando arcei posse, si suam vel suorum, hoc est, ascendendum, descendendum, patroni, patronæ, & liberorum, fratris, sororis, uxoris, loceri, loceris, generi, nutriti, vitrici, novercæ, injuriam persequatur, arg. legis 11. ubi post enumeratos qui non admittuntur, (& de quibus hac controversia dicitur) sub-

jungitur: Hi tamen omnes, si suam injuriam persequantur, mortemve propinquorum defendant, ab accusacione non excluduntur. Imò in delictis privatis nemo ad accusandum admittitur, nisi qui suam aut suorum injuriam persequatur. *gl. in l. fin. ff. de privatis delictis.* nisi agatur ad poenam filico applicandam, tunc enim quisvis admittitur, ut tradit Farinacius *q. 12. n. 9.*

De reliquo exclusi ab accusando summariim recensentur à Julio Claro *q. 14. n. 1.* Aliqui enim repelluntur propter dignitatem, ut Clericus & Miles: alii propter defectum concernentem statum personæ, ut filiusfamæ, servus. alii propter defectum ætatis, ut pupillus & minor. alii propter imbecillitatem sexus, ut mulier. alii propter indignitatem personæ, ut criminofus, infamis, damnatus, excommunicatus &c. alii propter defectum integræ fidei, ut inimicus, pauper: alii propter debitam reverentiam illi qui esset accusandus, ut servi, liberti, va falli. Verum, de his est enucleatius dicendum. Itaque.

22. Quaritur I. Quousque Clericus non admittatur ad accusandum. Rationem dubitandi, & opinandi, quod universaliter prohibeatur, facit *can. 51. ca. 2. q. 7. Sacerdotes (ut antiqua tradit auctoritas) criminari non possunt.* Hoc non obstante cum distinctione respondendum est, & Dicentur.